

68

LA VRVM. PHILOSOPHIAE

V I R O

NOBILISSIMO. CLARISSIMO. ATQVE
DOCTISSIMO

DOMINO

SEGIMVND0
FREDERICO
DRESIGIO,

S.S. THEOL. ET. PHIL. CVLTORI
PRAECEPTORI. SVO. FIDELISSIMO

D. XIII. KAL. MART. A. O. R. ∞. 15 CC. XXX

IN. CELEBERRIMA

LIPSIENSIVM. ACADEMIA
SVMMA. DIGNITATE. IMPOSITAM


DEBITIS. OFFICIIS. GRATVLATVR
FIDELISSIMVS. DISCIPVLVS

JOANNES. JACOBVS. BOSIVS.

LIPSIAE

LITTERIS. IO. GEORG. SCHNIEBESII.

68.



Pliffiades Musae, paullo maiora canamus.
Namque dies oritur, qua non iucundior ulla,
Laeta dies, nobis albis signanda lapillis,
Laeta dies hodierna thymo mihi dulcior Hyblae.
O! iucunda dies! qua carpere gaudia mente
Fas est, atque animos laetos attollere coelos.
Plaudite iam manibus laetis, modulamini ad auras
Carmina digna VIRO, Sophiae qui prendit honores.
Laetor ego sane, nec sat iam gaudia possum
Demonstrare. Etenim me verba benigna relinquunt,
Queis animi possim lætos ex ponere plausus.
Quid faciam? quoniam mihi plane ablata facultas.
Virgilius spernit, temnit mea carmina Naso.
Me fugit ingenium, dulces componere versus.
Maeuius ipse meos, ridet quoque Tityrus ausus.
Attamen & pietas, & mens mea grata requirit,
Ut meritis tantis noster respondeat ardor.
Munera namque mihi doctrinae grata dedisti.
Ante leues ergo pascentur in aethere cerui,
Et freta destituent nudos in littore pisces;
Quam TVVS e nostro labatur pectore vultus.
Sed quum non possum TIBI dicere carmina grata,
Latonae fili, doctæque venite Camoenæ,
Dicite Pierides, non omnia possumus omnes.

Carmina discipuli placido, *Praeceptor amande,*
Accipias vultu, nec non sine tempora circum
Inter perdoctas ederam TIBI serpere lauros.
Gaudia non possum tacito sub pectore ferre,
Namque datur laurus TIBI, quæ gratissima Musis
Cynthius en! capiti super addit suauia ferta,
Et datur ex merito TIBI iam Parnassia laurus.
En! veniunt Nymphæ calathis, qui floribus aptæ,
Et neclunt fertum, quo cingant tempora *Vestra.*
Voce canunt, pulsæ resonant per sidera voces.
Namque TIBI docto iam dicere carmina docta
Pierides cupiunt, nequeo sed dicere digna.
Addit se socium, timidisque superuenit Orpheus,
Conueniunt omnes celebrant, quos sumis, honores.
Delius altisonans, meritos circumdat honoris
Lauro, digna suo studio fert ille brabea,
Qui semper gnauus, Musarum semper amicus,
Noctes atque dies vigilans, qui sudat & alget,
Qui nil sudorem madidum, nil frigora curat,
Sustinet Herculeos, alti Atlantisque labores,
Semper & obdurat, qui constans omnia perfert.
Omnia nam superat labor improbus, omnia vincit,
Tempore qui cuncto solers. Sic itur ad astra.
Sic superatur amoena TIBI Parnassia rupes,
Qua TIBI Pierides modulamur carmina grata,
Præterea donat viridem sacer ordo coronam,
Atque datur Sophiæ laurus frondosa merenti.
Quilibet acclamat salue iam, *digne Magister,*
Nunc & Apollineo cinguntur tempora ferta
Atque Sophi tribuunt TIBI præmia digna, *DRESIGI,*
TE multa Pallas splendentem reddidit arte,
Hincque ferunt laurum docti, sic præmia dantur.
Fortunatus eris Sophiæ, *perdocte Magister,*
Fortunatus eris, Phœbus, Musæque fauebunt,
Fortunatus eris TU, terque quaterque beatus,
Sicque superuenient, qui vix sperantur, honores.

Partem aliquam, venti, diuum referatis ad auras.
Hæc memini doctas nuper cecinisse sorores,
Carmina grata *TIBI*, quibus & gratantur honores,
Ast ingratus ego nescim *TVA* munera semper
Extollam, gratoque animo iam carmina pauca
Dicere fert animus, fas est *TIBI* quæque precari,
Et male tornatos *TIBI* iam iam fundere versus.
Semper amas nostram quamuis sit rustica, Musam,
Prosperet ipse Deus laurum, quæ tempora cingit,
Prosperet ipse Deus semper studia atque labores,
Prosperet ipse Deus, quidquid susceperis olim.
Mella fluant, summum Numen *TVA*cepta secundet.
Prospera *TE* semper, semper bona quæque manebunt,
Ad magnos venias, qui iam præbentur honores,
Sit *TVA* prosperitas constans, maneatque perennis,
Semper honos, nomenque *TVM*, laudesque manebunt
Sic *TVA* prosperitas, mea gaudia, fidera tanget,
Fas *TIBI* fortunam, sit fas optare salutes,
Quas ego sed motos præstat componere fluctus.
Sit modo nostra *TIBI* temeraria Musa probata,
Atque Sophocleo non carmina digna cothurno.
Et placeant laudem mea carmina scripta merenti,
TE duce mox discam, meliores fundere versus.



78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506
K118
1017





LA VRVM. PHILOSOPHIAE
VIRO
NOBILISSIMO. CLARISSIMO. ATQVE
DOCTISSIMO

DOMINO

SEGIMVNDO

FERRICO
GIO,

IL CVLTORI
D. FIDELISSIMO
R. ∞. 15 CC. XXX

RRIMA
ACADEMIA
TE. IMPOSITAM

GRATVLATVR
DISCIPVLVS
BVS. BOSIVS.

AE
SCHNIEBESIL.

